

17.
18

S V M M A
TOTIVS
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ
PAVCIS APHORISMIS
IN
ORDINEM ET CONNEXIONEM
RELATA

A
MEDICO CHRISTIANO. *i.e. H. Fried. Hoffmanno.*

HALÆ MAGDEBURGICÆ
M DCC XXIX.



Q. D. B. V.

I.

Theologia vera & pacifica, quam
vehementer optare debemus, non in am-
biguis terminis & opinionibus, quae perni-
ciosarum dissensionum genitrices sunt, ver-
sari debet: sed veritatibus simplicibus, perspicuis, paucis, sa-
lutiferis, in verbo divino clare contentis & inter se apte
connexis absolvitur sequentibus.

II. Primus homo, integris & in harmonia constitutis
animæ spiritualis & corporis animalis viribus, ita condi-
tus a DEO fuit, ut summum ipsius nomen intime co-
gnoscere & sancto timore, amore & fiducia cum interna
animi acquiescentia venerari potuerit.

III. Per inobedientiam vero & superbiam, qua crea-
torem contempsit, ita eius natura corrupta & destructa
est, ut spiritualibus viribus prorsus orbata, nec DEVM
recte cognoscere, nec rite sanctum ipsius nomen cele-
brare possit, ut potius non voluntati DEI, sed car-
nis desiderij, a corrupta phantasia provenientibus, inser-
viat ex immortali, mortalibus, ex spirituali, animalis factus.

IV. Vtut post lapsum recte instrueta ratio ex consi-
deratione universi, & maxime stupendi illius quod in stru-
ctura corporis humani delitescit artificii, ineffabilem con-
dit.

A 2

dito

ditoris potentiam , sapientiam & bonitatem cognoscere possit , & naturæ humanæ inscripta lex dicitur , eum , a quo existentiam , vitam , conservationem & omnia bona posidemus , humillime esse venerandum ; sed tamen nec modum , nec media , quibus natura & voluntas corrupta sanetur & in integrum restituatur , inde haurire licet .

V. Theologia igitur est illa saluberrima disciplina , quæ per divinam revelationem , modum & aptissima manifestat remedia , quorum beneficio , miser & a DEO ob inherentia peccata & vitam depresso spiritualè sciunctus homo , cum ipso uniri , ad veram ipsius cognitionem & ad sanctam ejus nominis celebrationem , cum intima animi quiete , rursus pervenire possit .

VI. Ut per rationis lumen ex rebus creatis DEI existentiam , sapientiam , bonitatem & providam rerum creatorum curam , perspicere possimus , immensus tamen ejus amor , gratia atque misericordia erga lapsum genus humanum , non rectius , nec clarius , quam divina revelatione cognoscitur .

VII. Divina revelatio est , qua scimus : ob intimum DEI amorem , ex essentia ejus ab aeterno genitum filium missum in hunc mundum , ut purissima conceptione & nativitate , humanam naturam cum divina conjugat atque purifiet , inque ea pro misero homine , per varia usque ad mortem crucis maledictæ passionum genera , perfectam , quam primus homo DEO debebat , obedientiam & humilitatem praestet , omniumque peccatorum penas animo & corpore supra modum degustet & hoc pacto amissam justitiam & sanctitatem humanæ naturæ restituat .

VIII. Divina revelatione cognoscimus : quod Christus morte sua mortem spiritualem destruxerit & sepulchrum suum ac sanctum fecerit , quod resurrectione vitam & immortam

mortalitatem animæ & corpori reddiderit & ascensione ad cœlum illud antea clausum rursus aperuerit.

IX. Revelatio divina est, quæ nos docet: Christum sedere ad dextram patris omnipotentis, pro peccatis nostris eorumque poenis affidue intercedere & adversus potentiam & insidias Principis angelorum malorum fideles, id est, ecclesiam suam, tueri atque defendere; eosque tandem in beatam vitam, ad æternam & lætam glorificationem nominis sui, recipere velle.

X. Divina revelatio est, quæ nos certiores reddit: obedientia & passione Christi comparatum nobis esse donum Spiritus S. qui sanet corruptam naturam, qui fidem, amorem & obedientiam in cordibus nostris accendat, ut D E O placere ipsiusque nomen rite celebrare possumus.

XI. Divina quoque revelatione firmissimam & inconsutam hanc veritatem cognoscimus: DEum omnibus, qui serio & ardenter in agnita sua miseria auxilium ipsius desiderant, illud præfitorum, idque propter immensum amorem & perfectissimam obedientiam Christi, quæ unica salutis basis est.

XII. Genuinum itaque & unicum religionis christianæ ac salutis nostræ fundamentum in eo consistit, ut homo profundam suam, in quam post lapsum præcipitatus, ratione corporis & animi, corruptionem atque miteriam, quotidie & probe agnoscat, deinde ut immensum amorem atque misericordiam Christi & summa ipsius beneficia per passionem & mortem acquisita & gratis præter meritum nostrum oblata, satis pensitet, memori & grata mente meditetur: firmiterque sibi applicet, & unicum salutis & justificationis suæ fundamentum in perfecta Christi obedientia & justitia constituat.

XIII. Duo a Christo ipso instituta sacramenta, firma signa & pignora sunt immensi sui amoris, quæ adhuc mirificentur.

fice fiduciam nostram in Christi merito corroborant & salvatoris nostri amorem accendunt, atque his ipsis omnia illa beneficia, quæ Christus per passionem, mortem & resurrectionem peperit, in nostram plenissimam possessionem traduntur.

XIV. Per S. baptismum gratis in foedus gratiæ, tam forensis justificantis, qua omnium peccatorum remissio datur, quam sanantis & medicinalis, qua corrupta natura regeneratur, recipimur. Per rectum usum S. coenæ in confortium & communionem corporis & sanguinis Christi & beneficiorum, quæ passione sua nobis peperit, admittimur.

XV. Cultus quem DEO triuni, & in hac, & in altera vita pro summis & præter meritum nostrum collatis beneficiis debemus, in celebratione & sanctificatione nomen sui nominis consistit, quæ variis modis perficitur.

XVI. Ipsa fide, sive firma in veritate & promissione DEI collocata fiducia, immensum ipsius amorem, gratiam, potentiam, sapientiam & veritatem agnoscimus intime, & hoc ipso sanctum ipsius nomen corde nostro magnificamus & elevamus.

XVII. Ob firmam & constantem hanc fiduciam, quam olim Moses, Abraham, David, Daniel aliique in promissa DEI gratia collocarunt, ipsi sancti, fideles, justi, electi ab ipso DEO habitu fuerunt.

XIX. Sanctum quoque Domini nomen seria invocatione & oratione celebramus & in hac potissimum fidei nostræ consistit exercitium. Nam dum in miseria nostra a DEO flagitamus auxilium, eo ipso amorem & benignissimam ipsius nos juvandi voluntatem, ipsius sapientiam, sive modum quo nos juvare possit, ipsius potentiam, cui nihil resistere potest ipsiusque veritatem, quæ non potest mutari, amplectimur & veneramur.

XIX. Celebramus quoque nomen Domini, quando in
dum-

numera illa & immensa; quæ D E V S nobis per omnia
ætatem in rebus divinis & nostram concernentibus salutem
benignissime contulit & adhuc conservat, assidue grata &
memori mente penitus amus, agnoscimus & gratias ac
laudes cum interna animi quiete & lætitia perfolvimus.

XX. Celebramus quoque nomen Domini vita sanctæ,
quæ in eo versatur, ut D E um intime diligamus, quod fit
si ipsi obediamus & præcepta eius servemus, omne illud
quod ipsi adversum odio prosequamur & aversemur, ac
proximum nostrum diligamus.

XXI. Sancta quoque vita consistit in imitatione Christi,
cuius imagini conformes reddi debemus. In Christo
immensus amor, misericordia atque benignitas erga o-
mnes miserios apparuit, ergo & nos miseriam proximi-
nostri omnibus modis & viribus sublevare debemus. Christus
fuit humilis & obediens patri suo; ergo humillime
voluntati divinæ nos submittere debemus. Mansuetus &
mitis fuit erga omnes homines; & hanc etiam nos im-
dolem indutere debemus. Contemtor fuit rerum terre-
narum & pauperis; hinc & nos in terrenis nullam ponere
fiduciam & hac in re pauperes evadere debemus. Christus
omnia adversa summa tulit patientia; ita & nos o-
mnia illa, quæ secundum voluntatem DEI nobis accidunt
in hac vita, patientissimo tolerare debemus animo. Et
hac ipsa imitatione Christi, ipsius sanctissimum nomen ipso
facto celebramus, honoramus & magnificacimus.

XXII. Celebramus quoque nomen Domini viribus
gratiae suæ & resistendo, pugnando fortiter adversus mundi
& carnis spiritum, pravis desideriis & cupiditatibus se
exherentem, dum eas efficacia verbi divini supprimimus
& vincimus, quam victoriam semper intima animi quies-
cum lætitia consequitur.

XXIII. Plura sunt bona, quæ recta celebratione no-
strinis divini adipiscimur. Prima hinc & præcipua in oratione
Christi

Christi est petitio sanctificatio nominis Domini, quæ si recte, nempe fide, amore DEI, obedientia & gratiarum actione, perficitur, quam facile reliquas subnexas petitiones obtinemus. Nam qui sanctificat vere nomen Domini, is iam tenet in his terris regnum coelorum, is facit voluntatem patris cœlestis, is divinæ fidit in terrenis providentiæ, is amat proximum, condonando ipsi lapsus, is non deseritur in temptationibus, sed ab omni malo liberatur.

XXIV. Sancta in his terris vita est multum imperfecta, hinc multi lapsus & cuivis ætati & temperamento inhærentes observantur atque inde quotidie poenitentia, invocatione nominis divini & remissione peccatorum opus habemus. Nam spiritus, qui in carne nostra habitat, operationes gratiæ divinae multum minuit & impedit.

XXV. Licet opera fidelium ob inhærens peccatum in hac vita sint imperfecta; nihilominus quando ex fidelii & obedienti erga DEum animo proveniunt atque in ipsius gloriam vergunt, ipsi placent & necessaria sunt, tum ad ostendendam fidem, tum ad ædificandum proximum, & a DEO tam in hac, quam in altera vita, remunerationem habent.

XXVI. Qui salutis suæ fundamentum in fiducia bonorum operum ponunt, exemplo Judæorum, Pontificiorum & multorum etiam ex Lutheranorum coetu, non possunt esse de salute sua certi, eo quod imperfectionem eorum agnoscunt. Præterea multorum bona opera ita sunt comparata, ut tantummodo sint externa, a DEO non præcepta & in opere operato consistant minimeque DEO placeant.

XXVII. Quicunque in agnita sua eaque annata miseria unicam suam fiduciam in misericordia immensa DEI, in perfecta obedientia & justitia Christi ponit, & vita

& vita sancta nomen Domini omnibus viribus celebrare nititur, is certum de salute sua habet testimonium.

XXIX. Quicunque unitus est cum DEO, quod sit vera fide & amore DEI, iam in his terris regnum coeleste possidet, quod in justitia, interna animi quiete & DEI gloria consistit.

XXIX. DEVS, qui est ipse substantialis amor atque misericordia, miserorum non vult ut unus in æternum pereat, sed potius, ut quisque eum recte cognoscat & ejus nomen in æternum celebret. Neque tamen voluntatem hominis, cuius essentia in libera actionum suarum determinatione consistit, cogere, sed tantum mouere, ducere ac trahere vult.

XXX. Multi & varii sunt modi, quibus DEVS ex ineffabili sua & universalis gratia ac amore hominis cor & animum ad se commovere & allicere intendit: 1) homo consideratione universi & singulari rerum creatarum providentia ideam perfectissimi & benignissimi entis acquirit: 2) sensus veri & falsi, justi & injusti, omnibus gentibus communis, de interna conscientia dat testimonium: 3) ea misericarum & calamitatum a quibus nemo hominum in hac vita immunis, natura ac vis est, ut iis afflictus a superiori petat, optet & exspectet auxilium: 4) tanta est in verbo divino, cuius rumor ad omnes gentes pervenit, vis ac supernaturalis efficacia, ut non modo convictionem veritatis secum habeat, sed & eor hominis dulcedine promissionum ad DEum trahat.

XXXI. DEUS nihil aliud exigit ab homine ad consequendam æternam felicitatem, quam ut vires a DEO & natura ipsi concessas ita adhibeat, ut verbum DEI

legat , auribus percipiat , in memoriam recipiat & meditetur , neque præfracte eius veritati & dictibus resistat , hoc si facit , tam efficax est , ut cor hominis ad agnitionem suæ misericordiæ , ad agnitionem Christi & celebrationem nominis sui perducat .

XXXII. Quum igitur verbum DEI nobis omnium beneficiorum thesauros largissime aperiat , quibus ad cognitionem DEI & Christi ejusque nominis sanctificationem recta & regia via pervenire possimus , ideo non modo diligenter hominem illud audire , scrutari & meditari , sed & certum tempus ad id perficiendum destinare oportet .

XXXIII. Datur ab æterno decretum divinum de consequenda hominum salute , idque absolute est immutabile , propter omniscientiam & veritatem DEI æternam & immutabilem ; hoc vero non arbitrarium est , sed certis conditionibus & ordini , quem ipse Deus selectus & in verbo suo proposuit adstrictum .

XXXIV. Quicunque itaque hunc ordinem consequendæ salutis paedagogicum & a DEO præscriptum præfracte & constanter neglit & contemnit , is seipsum privat sua æterna salute , Deus neutquam qui ob immensum amorem omnes vult servare , ut glorifcent nomen suum .

XXXV. Electionis nostræ ab æterno , quæ immutabilis , pia consideratio , certe dulcis & ineffabilis consolations plena est , iis , qui in fide , amore Dei & proximi ambulant & cum gratiarum actione & interno gaudio ac laude beneficij DEI agnoscent & efficaciam Spiritus S. mortificantem opera carnis persentiantur , tum quod certitudi-

titudinem de æterna salute per & propter Christum consequenda valde stabilit & confirmat, tum quod amorem nostrum in Deum & glorificationem nominis sui vehementer accendit.

XXXVI. Et cognitio, & celebratio nominis divini in hac vita minus plena & perfecta est, eo quod corpus multum impedit unionem mentis cum Deo: erit autem deposito corpore longe plenior, intimior & perfectior.

XXXVII. Mors itaque fidelium pro magno beneficio merito habenda est.

XXXVIII. Anima in his terris cum corpore animali unita in se & sua natura non interit, tum quod substantia est spiritualis, simplicissimæ, indivisibilis & immutabilis, tum quod spiritu DEI immortali inhabitante imbuta & exaltata est.


XXXIX. Anima immortalis, quo magis in his terris veritatibus & scientiis perficitur, eo majorem gradum & incrementum in his & aliis abdityis intuitu Dei, in in cœlo obtinebit.

XL. Vita æterna est interior Dei eiusque sapientiae potentiae & benignitatis cognitio & penetratio, quam intimus amor & celebratio summi Numinis, cum ineffabili lætitia & voluptate sequitur. Sed quia ibi nulla miseria, hinc nec spes, nec fiducia, ullam amplius locum habebunt.

XLI. Felix est, qui cum spiritu DEI inhabitante, hoc est, firma in Christum fiducia, amore DEI & proximi, adeoque in pace & quiete, ex hoc mundo decedit.

XLII. Quia divinæ naturæ nihil magis adversum quam superbia , fiducia in terrenis, immisericordia & injustitia, & hæc ipsa ita sunt comparata, ut ab æterna felicitate hominem excludant , omnibus viribus hæc vitia vitare oportet.

XLIII. Hæc doctrinæ & veritatis christianæ potissima sunt fundamenta , simplicissima , facillima & quæ a nemine negari possunt , e quibus facilis negotio omnia dubia in praxi, quæ tantum utilis & salutifera, expediri, resolvi & dijudicari possunt, ad unionem & pacem exoptatissimam conciliandam.




Uf 1397

ULB Halle
004 111 818

3





17.
18.

S V M M A
TOTIVS
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ
PAVCIS APHORISMIS

IN
ORDINEM ET CONNEXIONEM
RELATA

A
MEDICO CHRISTIANO. i.e. *Frid. Hoffmann.*

HALÆ MAGDEBURGICÆ
M DCC XXIX.